



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput II. Alexander III. Priori & Præposito (a) Mortariensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

## NOTÆ.

1. (a) *Salzburgenſi.*] Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* poſt Concil. Lateran. p. 45. c. 7. habetur, *Eborardo Saleberg.* in hac ſexta collectione legitur, *Sancteburg.* Cujac. in præſenti exiſtimat legendum eſſe, *Eborardo Salzburgenſi.* ſed omnibus his lectionibus omiſſis, legendum eſt, *Eberbardo Salisburgenſi.* Salzburgum enim, ſeu Salisburgum, eſt civitas Germaniæ, à Latinis Juvania dicta: eam Atila Hunnorum Rex deſtruxit, & Robertus Rex reſtauravit anno 580.

Ex quinque Episcopatibus Bavariæ Salzburgenſis primus eſt, immò ejus Eccleſia in Metropoli erecta fuit, quam rexit ex anno 1147. uſque ad annum 1164, Everardus Comes ab Hiltpoſteim, Abbas Biburgenſis, pauperum pater, ut refert Bucelinus *tom. 1. Germania ſacra, fol. 43.* unde per conſequens deducitur, auctorem hujus textus fuiſſe Adrianum ordine quartum, qui antea Nicolaus Haſtfracus dicebatur, natione Anglus, ordinis S. Rufi Abbas 4. creatus Pontifex die 4. Decemb. anno 1154. floruitque uſque ad annum 1199.

## CAPUT II.

Alexander III. *Priori & Præpoſito (a) Mortarienſi.*

Propoſuit nobis mulier latrrix præſentium, quod cum vir ejus cum ea diutiùs permaniſſet, notam ei conditionis objecit, aſſerens eam eſſe ancillam, quam liberam eſſe credebat cum eam duxit in uxorem. Cum autem in præſentia venerabilis fratris noſtri (b) Aſtenſis Episcopii hujusmodi negotium tractaretur, mulier, quia ibi gravari timebat, ad noſtram audientiam appellavit. Quia igitur tam eam, quam viro ſuo veniente, poſt aliquantulum moram præſatus vir inconcuſſa lite reſceſſit: d. v. p. A. ſ. p. m. quat. cum propter hoc fueritis requiſiti, partes ante veſtram præſentiam convocetis, & veritate ſuper his diligenter inquiſiti, ſi vobis conſtiterit, quod idem vir cum præſata muliere, poſtquam illam audivit ancillam, carnalem habuerit conſuetudinem, ipſum monere curetis, & appellatione remotâ diſtictè compellere, ut eam ſicut uxorem accipiat, & maritali cura pertractet: ſi verò aliter fuerit, cauſam diligentius audiatis, & eam ſine favore & gratia perſonarum, ſublato appellationis remedio, infra duos meſes ſine canonico terminetis. Ita tamen quod ſi ſententia divortii inter eos data fuerit, mulieri pecuniam, quam præſato viro (c) pro dote conceſſit, ſicut juſtum fuerit, reſtitui faciatis.

## NOTÆ.

1. (a) *Mortarienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 2.* pro cujus inſcriptionis expoſitione ſciendum eſt inter congregationes canonicorum regularium ordinis D. Auguſtini, non inferiore eſſe congregationem Mortarienſem ſanctæ Crucis. ita dictam ab oppido Mortario, ſive Mortaria: quod oppidum apud Inſubres eſt in planitie, quæ Papienſem Comitatum à Novarienſi diſterminat, à ſylvis & nemoribus, Sylva bella olim nominatum, ſed poſt cladem à Deſiderio Rege Longobardorum acceptam, qui cum Carolo Magno de ſumma Regni certans, ibidem exercitu cum regno amiſſo, captus cum filio & interfectus, regno Longobardorum finem dedit, Mortario, ſive Mortaria deinceps nuncupatum. Prope dictum oppidum anno circiter 1080. ſedente in Pontificatu Gregorio VII. Adamus clericus Mortarienſis, vir religioſus, in ſuo prædio Eccleſiam in Dei hono-

rem, & ſanctæ Crucis magnificentiſſimam cum monaſterio ædificavit, ubi clericos ſecundum B. Auguſtini regulam viventes accivit, & poſtea varii Prioratus cum ſuis Eccleſiis illi attributi ſunt, ut latè refert Pennotus *lib. 2. hiſtor. canonic. regul. c. 46.* inter quas Eccleſias ipſius congregationis recenſetur Prioratus S. Mariæ apud Caſtrum S. Martini, civitatis Aſtæ, à nobilibus de Solario fundatus, nunc unitus monaſterio S. Mariæ Novæ, dictæ civitatis, cujus Priori & Præpoſito reſcribit Pontifex in præſenti, & de ipſo Prioratu plura adducit Pennotus *lib. 2. hiſtor. canonic. regul. c. 28. n. 4.*

(b) *Aſtenſis.*] Aſta, Ptolomeo teſte *lib. 3. cap. 1.* vulgò *Aſti* dicta, eſt civitas Liguriæ, ad Alpes Cotiæ ſita, cujus Episcopos Majoranus dictus ſubſcripſit Concilio Romano ſub Hilario celebrato, ut refert Carolus à Sancto Paulo in *geograph. ſacra, fol. 62.*

(c) *Pro dote.*] Quia ubi non eſt matrimonium, nec dos, *l. final. ff. de condi. ſine cauſa.*

## CAPUT III.

Urbanus III. (a) *Ariminenſi Episcopo.*

Liçet ad ea, ſuper quibus noſ fraternitas tua conſulere voluit, te ſufficere arbitremur, quia tamen ad majorem certitudinem judicium noſtrum ſolicitudine paſtorali requiris: noſ ad inquiſitiones tuas officii noſtri debito reſpondemus. Sanè ſuper eo, quod ex parte tua propoſitum nobis accepimus, an mulier poſſit eo prætextu divortium poſtulare, quòd vir, cum quo ſuæ conditionis ignara contraxit, ſervus monaſterii